

## (Liber octavus)

F: De Vermibus Venenosis

P: Incipit septimus

V: Incipit liber septimus

## (Prefatio)

W: Incipit prologus in librum de uermibus.

**D**eus ab initio omnem creaturam bonam creaverat. Sed postquam dyabolus hominem per serpentem decepit, ita quod ille de paradiso eiectus est, creature que ad mundum spectant, divina voluntate et ultione cum homine in deterius mutate sunt. Unde et genera crudelium et venenosorum vermium in ultionem hanc insurrexerunt, ut et penas infernales esse mortifera crudelitate sua ostenderet, ac ut homini timorem infernalem incutientes eum divina permissione veneno suo necarent, cum ante casum hominis nichil mortiferum sed sucum delectabilem in se habuissent. **2** Cum terra in effusione sanguinis Abel corrupta est, mox novus ignis per quem homicidium puniretur, in inferno exarsit, et mox etiam per divinam voluntatem quedam nebula, ex inferno ebulliendo, super terram se extendit et quodam pessimo humore terram infudit, ita quod quidam pessimi et venenosi ac mortiferi vermes ex terra nascendo multotiens ebullierunt, quatinus carnes hominum ab eis punirentur, quia homo carnem hominis necaverat. Et cum postea divina ultione in diluvio aquarum homines deleti sunt, tunc etiam idem vermes qui in aqua vivere non potuerunt, in aqua suffocati sunt. Sed cum cadavera eorum inundatione aquarum per totam terram dispersa sunt, et deinde cum diluvium cessasset, **3** et cadavera eorum vermium veneno plena conputruissent, **4** ex ipsa putredine alii vermes eiusdem generis exorti sunt, **5** et ita per totam terram disseminati sunt. **6** Quidam autem vermes venenis suis et homines et animalia necant, quidam vero tantum homines, quoniam vermes qui in natura sua dyaboli-